

miliani I, 1500, Caroli V, 1548, Augustæ et Rudolphi II, 1577. Francofurti editæ fisco cedit.

189. VI. *Est inhabilis ad condendum testamentum, et ad assistendum eidem.* — Plures aliæ manifestorum usurariorum pœnæ comprehenduntur c. 2, h. t. in 6, ubi inter alia dicitur: Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de faciendo pro suarum viribus facultatem præstent (ut præmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. Hæc ibi.

190. *Sunt præterea usurariorum variae pœnæ municipales, uti in Bavaria.* — Præter has a jure communi statutas pœnas usurariorum sunt aliquæ per leges municipales statutæ, quæ in suis locis videndæ et observandæ in nostra Bavaria.

191. *Licita et utilis praxis reddendi se immunem ab usura et pœnis illius tam quoad doctos.* — Cæterum, ut ex parte supra num. 61 et 62, in simili jam dictum, sicuti a culpa, sic etiam a restitutione, et pœnis usuræ multi, præsertim doctores se reddere possunt immunes, non tantum in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnum emergens, aut periculum sortis, aut pœna ob moram imposita per dicta § 4 et § 5, sed etiam his absentibus, si nempe loco mutui emanat census, seu dent per contractum emptionis sortem principalem centum florenorum pro jure quinque annuatim percipiendi ex bonis debitoris, idque sive redimibiliter, sive irredimibiliter per dicta § 8, a num. 149, vel si id faciat, vel facere intendat per tacitum, vel expressum contractum societatis, uti fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, et honestum lucrum quærit, ita ut hic præstet industriam, ille vero pecuniam hac conditione, ut de lucro ex sorte principali centum florenorum acquisitio tribuatur pars subministranti pecuniam, v. g. annuatim quinque.

192. *Quam indoctos præsertim in Germania.* — Et quamvis indocti, et rudes præfatas vias et titulos usuram declinandam non sciant, ac intelligant, sed absque ullo justo, quem scirent, titulo quinque annuatim exigant ob sortem principalem mutuo datam, et in ipso contractu alium terminum non adhibeant quam mutui ausleihen, leihen,

anlegen, etc., tamen a peccato usuræ, restitutione, et pœnis ipsius passim immunes censendi sunt: Tum quia bona fide procedunt, id faciendo, quod varios doctos et probos passim praticare vident; tum quia licet hujusmodi indocti non adhibeant, nec adhibere valeant expressam intentionem et titulum ab usura excusantem juxta dicta; tamen quia merito censendi sunt contrahere modo, quo possunt de jure meliori, eorum contractus non tam mutuum, quam emptio census, vel tacitus, aut expressus contractus societatis in re, et effectu judicari debent, etsi ob suam simplicitatem, et defectum notitiæ, terminum mutui adhibeant; præsertim cum verbum leihen seu mutuum dare, apud Germanos verbum valde generale sit, uti post Laym. Lib. III, tr. 4, cap. XVIII, num. 43, bene notat Engel, h. t. num. fin.

193. *Usura est mixti fori non tantum, si est questio facti.* — Quæritur II. Quis sit legitimus judex criminis usuræ? Resp. Usuras esse mixti fori, ita ut tam laicus, quam ecclesiasticus de illis cognoscere et judicare valeat, non solum si tamen facti questio, crimen vero liquido usurarium est; sed etiam quando est juris, seu quando disceptatur, num hic vel ille contractus usurarius sit necne. Prima pars de casu, in quo sola est questio facti, caret controversia, patetque ex c. *Post miserabilem*. 12, h. t.

194. *Sed etiam si est questio juris.* — Alteram partem de questione juris tenet Farinacius *Prax. crimin.* q. 8, n. 140. Menochius *de Arbitr. judic. casu*. 398, n. 4. Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. III, num. 1. Sylvester *de usura*. 9, princ. Pirhing, h. t. nu. 14, et alii contra Glossam in c. *Cum sit*. 8. *Malefactores, de foro compet.* Clarum *de usura*. n. 8, et nonnullos alios volentes cognitionem questionis juris, de hoc crimine soli judici ecclesiastico competere. Probatur conclusio nostra; tum quia a jure canonico nullibi invenitur interdicta judici laico cognitio usuræ in casu questionis juris, sed positive concessa c. *Post miserabilem* 12, h. t. ubi sine distinctione inter questionem juris, et facti conceditur potestati sæculari facultas cognoscendi et judicandi usuras; tum quia hoc crimen non tantum ecclesiastico, sed etiam divino, et naturali juri adversatur, nec plus spiritualitatis in se habet, quam furtum, homicidium, adulterium, etc. Quæ cognoscere et judicare,

etiam sæcularem judicem posse, nemo negat.

195. *Solvitur objectio.* — Nec obstant, quæ adversarii objiciunt, jura ex c. 2, et c. *Præterea*. 7, h. t. Quia licet ex his probetur, crimen non tantum sæcularis, sed etiam ecclesiastici, fori esse, non tantum probatur id esse solius fori ecclesiastici, præsertim cum resistat c. *Post miserabilem*. 12, h. t.

196. *Quando est questio de peccato, solus ecclesiasticus est judex.* — Dices: cognoscere, num actus aliquis sit peccaminosus, solius fori ecclesiastici est, c. *Novit*. 13. *Non enim de judic.* et c. *Per venerabilem*. 13. *Nam si, qui filii sint legitimi*; atqui in questione juris agitur de solo peccato; ergo. Resp. Pertinere quidem ad solum forum ecclesiasticum, generali definitione decernere, quænam sint peccaminosa necne; hoc tamen non obstante bene potest judex sæcularis cognoscere, num hic vel ille contractus justus, vel injustus, canonibus, et legibus contrarius sit necne ut citati doctores bene advertunt.

## TITULUS XX.

### De crimine falsi.

1. *Quid falsum? et quæ requirantur ad illud?* — Quæritur I. Quid sit falsum, et quot modis committatur? Resp. I. Cum Sylvestro *de falsariis*, num. 1. Falsitas seu falsum est mutatio veritatis cum dolo et jactura. Triasiquidem ad ejus esse requiruntur, videlicet primo ut pervertatur veritas, *Novell.* 73, in præfat. Secundo, ut id dolo malo fiat l. I, et l. *Impuberem*, 22, ff. et l. *nec exemplum*, 2, c. *ad leg. Cornel. de falsis*, et tertio ut falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi forsan impediatur, l. *qui falsas*, 6, et l. *Si falsas* 8, c. eod. alioquin uno horum deficiente non tenetur quis pœna hujus criminis, cit. l. *nec exemplum*. C. *leg. Cornel. de falsis*, cum concordantiis.

2. *Committitur quatuor modis scilicet dicto, scripto, facto et usu.* — Resp. II. Falsum, seu falsitas committitur principaliter quatuor modis, videlicet dicto, scripto, facto, usu, seu potius abusu, Farinacius, *Prax. crimin.* 6, lib. V, sect. 16, q. 130, num. 6. Mascar-

us, *de Probat.*, concl. 739, n. ult. Damhaud *Prax. crimin.*, cap. CXIX. Pirhing, h. t. n. 1. Engel, h. t. n. 2.

3. *Dicto committitur, præsertim per testes in judicio dicentes falsum.* — Quæritur II. A quibus dicto committatur crimen falsi? Resp. I. Dicto seu verbo committitur falsum per testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum supprimunt dolo malo. Hinc c. 1, h. t. dicitur: Falsidicus testis uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. Item habetur can. *Quisquis* 11, q. 3, concordat, l. I, et l. *Falsi pœna* 20, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*. Et hoc falsum valde abominantur jura, nam ut dicitur cit. c. 1, h. t. falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primo Deo, cujus præsentiam contemnit; dein judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit.

4. *Vel supprimentes verum: et quomodo.* — Ubi tamen nota, quod tunc testis occultando veritatem censeatur falsarius, quando interrogatus a judice super certo articulo falso dicit, se nihil scire; vel quando juravit, se cum pura veritate dicturum, quod ad propositum scit, et nihilominus eam tacendo suppressit. Secus est, si juravit solum simpliciter, se ad interrogata responsurum: tunc enim, si non interrogatus taceat veritatem, non tenetur crimine falsi. Farinacius *Prax. crimin. de Testib.* q. 67, a n. 230, ubi tamen occultantem verum excusat, si sine dolo id facit.

5. *Item, qui subornant vel corrumpunt testes.* — Resp. II. Ille quoque falsi reus est, qui testem subornat, vel donis aut pretio corrumpit ad dicendam falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti et qui utitur dicto testis falsi, Clarus § *Falsum*, num. 3 et 4. Pirhing, h. t. num. 4.

6. *Ac ipsi testes dolose negantes, se recordari, vel obscure deponentes.* — Illum insuper testem falsi reum esse, qui interrogatus respondet, se non recordari, cum debeat verosimiliter recordari; item si per malitiam et dolum respondet versute et obscure, tenet Farinacius, loc. cit. n. 224. Pirhing, h. t. num. 4.

7. *Item si judex corruptus iniquam proferret sententiam.* — Resp. III. Etiam judex verbo seu dicto committit crimen falsi, et ut falsarius punitur, si pecunia corruptus, vel

alias dolo malo contra leges et constitutiones principum sententiam tulit, arg. l. I, § *Sed etsi iudex*, ff. *Ad legem Cornel. de falsis*.

8. *Et advocatus prodens secreta causæ sui clientis.* — Resp. IV. Falsi adhuc reus censetur etiam advocatus, qui parti adversæ causam prodit, et vel propriis probationibus dissimulatis, vel falsis exceptionibus, aut probationibus admissis partem adversam directe vel indirecte juvat. Pirhing, h. t. n. 8. Haunoldus, tom. VI, tr. II, n. 480, arg. l. I, § 4, ff. *ad leg. Cornel. de falsis*, et l. I, § *ad S. C. Turpil.*

9. *Scripto committitur falsum, si quis falsum scribit testamentum.* — Quæritur III. Quot modis crimen falsi committatur scripto? Resp. I. Id committi ab illis, qui testamentum vel aliud instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subjecerint, vel signum adulterinum fecerint, sculperint, vel expresserint scienter et dolo malo; ut dicitur § *Item lex Cornelia, de Falsis, Institut. de public. judic. cum Concordantiis*, ibidem a Glossa relatis.

10. *Vel dolose mutat nomen, cognomen, genus, parentes, etc.* — Resp. II. Inter falsarios numeratur, qui nomen vel cognomen, genus, vel parentes sibi fraudulenter mutaverit, l. *falsi*, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*, ibi: falsi nominis vel cognominis asseveratio pœna falsi coercetur. Intellige, si hoc fraudulenter fiat: nam mutare nomen vel cognomen sine aliqua fraude, libero homini licitum est, si nullum inde cuiquam præiudicium fiat, ut expresse habetur l. un. C. *de Mutatione nominis*.

11. *Vel sibi in testamento inique scribit legatum.* — Resp. III. Tenetur pœna falsi, si quis in testamento injuste sibi adscripserit legatum vel fideicommissum, arg. l. *Si quis legatum*, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*, Item si rasis litteris aliud in locum ejus, quod scriptum erat, scribat, prout contingit, c. *Olim de Rescript.*: modo id fiat in loco suspecto; nam rasura in loco non suspecto non probat rescriptum falsum, c. fin. h. t.; sed mox occasione hujus specialiter.

12. *In Bullis pontificiis novem modis contingere potest falsitas, et quibus?* — Quæritur IV. Quot modis possit contingere falsitas circa Bullas Pontificias? Resp. I. Novem modos falsandi litteras Papales referri c. *Licet*, h. t. qui tamen plerique consistant in diversis artificiis radendi ex parte, vel toto litteras Pontificias, aut vera sigilla falsis lit-

teris apponendi, ut patet ex textu, ibi: « Ut autem veritates falsitatis circa nostras litteras deprehendere valeatis eas vobis presentibus litteris duximus exprimendas.

» Prima species falsitatis hæc est, ut falsa Bulla falsis litteris apponatur.

» Secunda, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, et per aliud filum immissum falsis litteris inseratur.

» Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera Bulla falsis litteris immutatur, sub eadem plicatura cum filo simili cannabis restauratum.

» Quarta, cum a superiori parte Bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, et per idem filum litteris falsis incerta reducit intra plumbum.

» Quinta, cum litteris Bullatis et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.

» Sexta, cum scriptura litterarum, quibus fuerit apposita vera bulla, cum aqua vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, et aliis juxta consuetum artificium dealbata de novo describitur.

» Septima, cum chartæ, cui fuerat apposita vera Bulla, totaliter absolutæ, vel abrasæ, alia subtilissima charta ejusdem quantitatatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine falsitatis non reputamus immunes, qui contra Constitutionem nostram, scienter litteras non de nostra, vel Bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque qui accedentes ad Bullam, falsas litteras caute projiciunt, ut de vera Bulla cum aliis sigillentur. Sed hæc duæ species falsitatis non possunt facile comprehendi: nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In cæteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel motione, vel obtusione, præsertim si Bulla non sit æqualis, vel alibi magis tumida, et alibi magis depressa. » (ADNOTATIO XXXVI.)

13. *An, et quando per errorem latinitalis vel rasuræ censeatur falsum rescriptum pontificium? Remissive.* — Resp. II. Præsumitur falsum rescriptum, ita quod per ipsum non procedatur, si habet in se vitium latinitalis, c. *Ad audientiam, de Rescriptis*, ibi: Quibus quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus habere. de quo tamen plura jam diximus lib. I, tit. III, *de Rescriptis*, § 9 per totum, ubi etiam

de rasura, et nonnullis aliis huc attinentibus jam egimus; quibus adde Glossam in c. *licet*, h. t. §. *Falsitatis*, ubi inter alios ponit sequentes versus.

Forma, stylus, filum, membrana, litura sigillum: Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

14. *Facto committitur falsum per diminutionem ponderis, vel mensuræ publicæ.* — Quæritur V. Quibus modis facto committatur falsum? Resp. Id multipliciter contingere. Primo, venditores et emptores plectuntur pœna falsi, qui pondera, vel mensuras publice probatas frumenti, vini, aut ejuslibet rei corruperint, l. *Hodie* 32, § 1, ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis*.

15. *Per suppositionem partus alieni.* — Secundo, qui alienum partum supponit, l. *qui falsum*, 19, et l. *Cornelia* 30, ff. *Ad leg. Cornel. eod. juncta l. 1, C. eod.*

16. *Item ab eo, qui merces corrumpit.* — Tertio, crimen falsi committunt facto, qui mercibus adulterinam vel minus utilem materiam adjungunt, Molina, disp. 701, n. 1. Farinacius, q. 150. Pirhing, h. t. n. 45.

17. *Qui eandem rem duobus in solidum vendit.* — Quarto, qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, pœna falsi coercetur, l. *Qui duobus*, ff. *eod.*

18. *Qui honorem, vel gradum falso simulat, v. g. sacerdotis, doctoris, notarii.* — Quinto, qui se pro milite gessit, cum non esset miles, vel si quis sibi falso titulos honoris, vel status, v. g. clerici, sacerdotis, nobilis, doctoris, notarii, etc., assumit. Farinacius, q. 150, num. 85 et 87. Pirhing, h. t. num. 45. König, eod., n. 6, arg. l. *Eos, qui*, 27, ff. *eod.*

19. *Qui falso alienis utitur insignibus.* — Sexto, qui illicitis, id est, alienis insignibus usus est; vel qui falso diplomate vias commearit, punitur gravissime pro qualitate criminis pœna falsi, l. *Eos qui*, ff. *eod. et l. un. C. de Mutat nom.*

20. *Qui utitur falsis constitutionibus.* — Septimo, qui proposita edicta dolo malo corrumpunt, falsi pœna plectuntur, l. *Hodie*, ff. *eod.* Item, si quis utatur falsis constitutionibus nullo auctore vel quæ non probata sunt, l. fin., ff. *eod.* Specialiter etiam committitur falsum circa monetam, de quo etiam specialiter.

21. *Circa monetam falsum committitur triplici modo, nempe cudendo sine legitima auctoritate monetam justam.* — Quæritur VI. Qui-

bus modis falsetur moneta? seu falsum committatur circa monetam? Resp. juxta ordinationem Caroli V, art. 3, prin. falsum circa monetam tribus modis committitur. Primo, si quis cudat monetam, qui cudendi non habet facultatem; etiamsi ea cæteroin sit proba et justis ponderis; siquidem jus cudendi monetam numeratur inter regalia, ut patet ex lib. *Feud. tit. quæ sunt regalia*, juncta l. II, *de falsa Moneta*. Accedit quod ad justam monetam non sufficiat materiæ bonitas, sed insuper requiratur publica forma, seu signum publicum, arg. l. I, ff. *de contrahenda emptione et venditione*, ubi pecunia dicitur materia forma publica percussa. Hæc autem forma publica vel deest, vel falso fingitur in moneta, privata auctoritate cusa, cum illam sine consensu principis citra falsum adhibere nemo possit, arg. l. *falsi*, 13, prin. l. *Qui nomine*, 25, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*.

22. *Vel justum illius pondus minuendo.* — Secundo, falsatur moneta, si quis publica auctoritate cusæ monetæ justum pondus, tundendo, sciendo, abradendo, vel alio modo dolose diminuit; de quo fit mentio l. *Quicunque*, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*.

23. *Vel cudendo falsam.* — Tertio, si quis monetam adulterinam cudat, id est, fingat ex falsa materia, ut stanno, cupro, vel hujusmodi; ut si quis veræ materiæ, puta, auro, argento, adulterinam, v. g. stannum, cuprum, aliamve materiam admiscet; vel si quis numeros falsos tinxerit, ut appareant aurei, vel argentei, l. *Lege*, 9, ff. cit. l. *Quicunque*, ff. *eod. et l. I et II. C. de falsa Moneta*.

24. *Graviter etiam prohibetur, arte alchimie conficere aurum, vel argentum.* — Ad falsum circa monetam plerumque reducitur etiam confectio auri, et argenti arte alchimie; quamvis enim non desint, qui cum Alberto Magno lib. III, *Minoral.*, docent, dicta arte aurum et argentum confici posse; nihilominus ob periculum falsi Joannes XXII in Extravag. *Spondent.* h. t., *inter communes*, sub gravibus pœnis (nempe sub pœna infamie, et obligatione restitutionis) et si clericus, sub privatione etiam beneficiorum, et inhabilitate ad eadem habenda, prohibet, ne aurum vel argentum arte alchimie conficiatur, aut confectum scienter usurpetur, multo minus ex eo moneta adulterina cudatur idque merito, quia hujusmodi confectio auri, si non impossibilis, adeo difficilis est, ut moraliter impossibilis reputetur. Tum

quia non nisi magno cum damno conficiendum, et aliorum confici curantium fieri potest, adeo, ut cupientes simile aurum continuo vana spe deludantur, et interim mediis exhauriantur; nam, ut ait Pontifex mox a principio, Spondent, quas non exhibent divitias, pauperes alchimistæ. Sed de hoc plura alii.

25. *Usu, seu potius abusu quomodo committatur falsum.* — Quæritur VII. Quibus modis falsum committatur usu, seu potius abusu? Resp. Cum Engel, h. t. num. 17, et aliis, id fieri, quando quis scienter utitur falsitate ab aliis conficta; ut si quis testimonium vel instrumentum scriptum falsum scienter in judicio proferat, monetam falsam scienter dolose colligat et expendat, ac hujusmodi. Huc reducent aliqui etiam illos, quos supra num. 10 et 18, posuimus, verum parum refert, num falsarius quis usu, facto, vel scripto dicatur, quia quivis certis pœnis subjectus est juxta statim dicenda.

26. *Pœna committentis crimen falsi cujuscunque.* — Quæritur VIII. Quas pœnas incurrant falsarii, seu committentes crimen falsi? Resp. I. Pœna ordinaria committentis quodcumque tandem crimen falsi, olim circa nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; circa personas viles damnatio ad metallum; circa servos ultimum supplicium, l. 1, § fin. ff. *ad leg. Cornel. h. l. Si quis*, 38, § 7, ff. *de Pœnis*. Hodie tamen ex arbitrio judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum imponitur, prout notat Glossa in cit. l. 1, § fin. *¶ Eorum*, adeo ut subinde pecuniaria, subinde corporalis, sive etiam capitalis esse possit l. *Ubi falsi* 22. *C. Ad leg. Cornel. h. t. ubi in fine habetur*. Supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi.

27. *Pœna testis falsum committentis in judicio de jure civili.* — Resp. II. Pœnas falsariorum esse varias pro diversitate falsi ab eis commissi. Patet inductione. Nam imprimis testis in judicio falsum committens juxta dicta num. 3, 4, 5 et 6, de jure civili eandem, quam alii falsarii, incurrit pœnam specificatam num. præced.

Ex ordinatione autem Caroli V art. 107. Testis in causa civili falsum cum juramento dicens evadit infamis, et tenetur ad omne damnum parti per falsum læsæ inde secutum: ac insuper juxta receptam consuetudinem amputantur eidem duo illi digiti, quos in præstationem juramenti ad Deum

erexit. In causa criminali autem falsum committens, pœna talionis, id est illa, qua reus puniri debuisset, juxta eandem Caroli V ordinationem, art. 68, punitur ad imitationem legis divinæ Deut. cap. xix, *¶* 19 et 21.

28. *Pœna testis falsum committentis de jure canonico. Pœna detrusionis in monasterium hodie transit in pœnam trivemium, aut perpetui carceris.* — De jure canonico autem testis quicumque, sive clericus, sive laicus in judicio sive civili, sive criminali falsum committens est infamis, can. *Constituimus*, 9, cau. 3, q. 5, ibi: « Qui, etc. falsum testimonium dixerunt, infames sunt. » Clericus insuper falsum in judicio quocumque committens, deponi, et in monasterium detrudi jubetur, can. *Si quis episcopus*, 7, dist. 50, vel ad trivemes, aut perpetuos carceres damnandus est; quia loco detrusionis in monasterium olim consuetæ hodie succedit damnatio ad trivemes, vel perpetuos carceres teste Fagnano, in c. *Cum non ab homine, de Judiciis*, num. 104; Farinac. q. 119, num. 55.

29. Quæ tamen ordinaria pœna clerici testis falsi limitatur, et in arbitrariam reducit, casu quo non nisi circa accidentalialia, vel sine præjudicio tertii falsum committit. Clarus, § *Falsum*, n. 9 et n. 33; Menoccius, *de Arbitrar. judic.* casu 306, n. 22.

30. *Pœna advocati.* — II. Pœna advocati falsum committentis juxta dicta n. 8 præter ordinariam est etiam, quod tenetur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium judicis pro diversitate personarum, et circumstantiarum, fustigatione, carcere, vel relegatione puniri valeat vigore Ordinatio Caroli V, art. 115.

31. *Pœna judicis committentis falsum.* — III. Pœna judicis falsum committentis juxta dicta n. 7, specialis olim erat exilii, et capitis, l. *Lex Julia*, 7, § fin. ff. *ad Leg. Jul. Repetund.*; hodie vero pro diversitate circumstantiarum est privatio officii et dignitatis, ac inhabilitatis ad judicandum, confiscatio honorum, vel etiam exilii, et capitis. Farinacius, q. 111, a n. 4; Menochius, *de Arbitrar. judic.* casu 342, a n. 7. Judicis ecclesiastici vero falsum committentis pœna præter ordinariam est suspensio a divinis, et compensatio damni illati, c. 1, *de Sentent. et rejudicat.* in 6.

32. *Pœna committentis falsum in scripto.* — IV. Pœna scripto committentis falsum

juxta dicta n. 9, est ordinaria n. 27 allegata.

33. *Pœna committentium falsum circa litteras apostolicas. Quæ stringunt, etsi ex falso nulli sequatur damnum.* — V. Pœnæ committentium aliquod falsum circa litteras apostolicas juxta dicta n. 12 et 13, sunt sequentes. Primo est excommunicatio Papæ reservata, c. *Ad falsariorum*, 7, h. t. juncta Bulla Cœnæ, § 6, cujus pœnæ non tamen reservatæ etiam subjecti sunt horum fautores cit. c. 7, h. t. Secundo clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis, et beneficiis ecclesiasticis perpetuo sint privati; ita quod si per se falsitatis vitium exererint, postquam per ecclesiasticum judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi, ut in formalibus statuitur cit. c. *Ad falsorum*, 7, h. t. ubi ulterius tertio ita statuit Papa, qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si clerici fuerint, officiis et beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tandiu maneant excommunicationi subjecti, donec satisfaciant competenter: et infra, quod et de his qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum. Quarto statuitur c. *Dura*, 4, h. t. quod, si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies, illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evitare: cui proin quis subjacet, etsi illis non utatur, nec utendi intentionem habeat. Barbosa, in cit. c. *Dura*, 4, h. t. n. 2. Et hæc pœnæ contra falsarios circa litteras apostolicas procedunt, etsi ex hujusmodi falso nullum, aut modicum damnum emergat, uti cum Bonacina, tom. III, *de Censuris*, disp. 1, q. 7, pun. 2, n. 5, docet Palao, tract. XXIX, disp. 3, pun. 7, n. 4. Ratio est, quia falsum in illis, sub dictis pœnis prohibetur non tam propter damnum inde secutum, quam propter contemptum supremæ auctoritatis, a qua litteræ veniunt, et ut omnis occasio falsi in his evitetur.

34. *Pœna falsificantium pondera et mensuras.* — VI. Qui publica auctoritate probatam mensuram, aut pondera falsificant, præter ordinariam pœnam falsi ad duplum restituendum, necnon ad insulam damnantur, l. *Hodie*, 32, § 1, ff. *ad Leg. Cornel. h. t. ac insuper per triginta dies in pane et aqua sunt plectendi, c. Ut mensuræ*, 2, *de Empt. et vendit.*

35. *Pœna falsum supponentis partum.* —

VII. Pœna supponentis falsum partum, est ultimum supplicium l. 1, *ad Leg. Cornel. de Falsis.*

36. *Aliorum falsariorum pœna.* — VIII. Falsariorum a n. 16 usque ad 20 inclusive enarratorum pœna ordinaria arbitrio judicis imponenda est, juxta dicta n. 27.

37. *Pœnæ falsum committentis circa monetam.* — IX. Pœna falsificantium monetam eudendo adulterinam modo n. 23 declarato, est varia, videlicet confiscatio omnium bonorum; damnatio ad bestias; ac ultimum supplicium igne inferendum. Sunt insuper rei criminis læsæ majestatis, l. 1 et 2, c. *de Falsa moneta*, et Ordinatio Caroli V, art. 3. Committentes autem falsum circa monetam modo n. 21 et 22, explicato puniendi sunt arbitrio judicis in corpore vel bonis pro diversitate et frequentia delicti, per jura citata. Haunoldus, tom. VI, tr. II, a n. 455.

## TITULUS XXI.

### De sortilegiis.

1. *Ratio continuationis.* — Quoniam sortilegia cuncta etiam aliquam in se continent falsitatem; hinc tanquam falso affinis merito post titulum de crimine falsi, præseus subjungitur.

2. *Sortilegium largius, et proprie loquendo, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit sortilegium? Resp. I. Quamvis generalius loquendo nomine sortilegii, et per rubricam hujus tituli veniant omnes superstitiones, divinationes, et magiæ, ut bene advertit Engel, h. t. n. 1, proprie tamen et specialius loquendo, sortilegium est divinatio, qua per sortes divinatorias, et falsa signa, ope dæmonis, futura, vel occulta manifestantur, ita in re communis, patetque definitio ex terminis, solum notandis terminis per sortes divinatorias.

3. *Sortes aliæ divinatoriæ, et hæc prohibitæ.* — Sciendum est triplicis generis esse sortes, videlicet, divinatorias, consultorias, et divisorias, divinatoriæ sunt, quæ adhibentur ad cognoscendum aliquod occultum, vel futurum, quod naturaliter sciri non potest, v. g. quis sit auctor talis furti, quid in posterum sit futurum, et hujusmodi, quod damnatur, ac fieri prohibetur c. 1, h. t. Imo